Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

CONSENSU PARTIUM, PRÆCIPUO PATHOLOGIÆ ET PRAXEOS MEDICÆ FUNDAMENTO,

QVAM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDENBURG. RELIQVA,

PRÆSIDE,

FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADV,

publice defendet,

RESPONDENS,

GEORGIUS GOTTLIEB. GUMPRECHT,

HALENSIS - MAGDEBURG.

H. L. Q. C.

A. d. Aprilis Anni cIↄ. Iↄcc. XVII.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO SOLENNIS,

DE

CONSENSU PARTIUM, PRÆCIPUO PATHOLOGIÆ ET PRAXEOS *MEDICÆ* FUNDAMENTO.

PROOEMIUM.

VEri & periti medici officium in eo contineri, ut morborum, quos curandos ſuſcipit, origines & proximas cauſas, & quomodo ab iis principes corporis partium functiones lædantur, plenius atque exactius intelligat, atque ad eas amoliendas auxiliorum medendique rationes dirigat; non facile quisquam in dubium revocabit: quandoquidem morbum ſanare vix aliud eſt, quam ejus cauſam tollere ac removere. At vero cum in praxi medica vulgaris quidem ac pervagatus, ſed admodum nocens error ſit, ſymptomata, quæ functionum læſiones ſunt, cum ipſo morbo &

 cau-

cauſis morbiferis atque lædentibus confundere, inque curandi methodo plus ad ſymptomatum, quam cauſarum morbi expugnationem reſpicere; idque non ſine inſigni ægrotantium damno & non raro diſcrimine fiat: opera utique ſedula danda erit medico, qui in artis exercitio cum certitudine feliciter verſari velit, ut ſymptomata a cauſis morborum veris, quarum ſoboles ſunt, diſcernat: atque adeo tunc facile perſpiciet, levia ſæpe eſſe morborum initia & paucas ac ſimplices cauſas, paucis etiam & ſimpliciſſimis remediis oppugnandas, quæ tamen ſubinde & ſucceſſive univerſam corporis functionum œconomiam pervertendi, & gravia, in omnibus fere partibus, provocandi ſymptomata potentia valent. Neque vero facilior & rectior datur via, in veras morborum cauſas & ſymptomatum ab iis factam progreſſionem ac generationem penetrandi, eorumque cognitionem deſcendendi, ac ſi corporis noſtri ineffabili ſapientia & ſummo artificio efformatam ſtructuram exquiſitiori & planiori notitia perſpectam habeamus. Hac enim acquiſita utique intelligere eſt facillimum, omnes machinæ noſtræ partes a ſapientiſſimo opifice, quod machinarum præcipuum requiſitum eſt, mutuo unionis vinculo ita ſecum eſſe connexas, ut inter eas, ratione uſus, exquiſitiſſima conſpiratio, harmonia & conſenſio animadvertatur, ita prorſus, ut una parte graviter læſa, ex unionis neceſſitate, reliquæ etiam, quantumvis diſſitæ, inde adficiantur & multum detrimenti capiant. Qua de cauſa fit, ut levis tantummodo viſa partis læſio variis & gravibus ſymptomatibus, quæ in admirationem medicum rapiant, producendis apta ſit. Plurimum itaque refert, imo maxime

ex-

expedit medico, illum admirabilem partium conſenſum, cujus ratione illæ in naturæ functionibus obeundis invicem communicant, qua poteſt fieri ſolertia indagare, ſine cujus intelligentia profecto omnis pathologia ſive rationalis circa morbos doctrina & medendi methodus cæca, manca ac trunca eſt. Et hujus nobilioris ſcientiæ defectu atque ignorantia factum eſt, ut medici, præſertim veteres, a cauſis cognitu facilioribus & ſimplicibus manifeſtis morborum & ſymptomatum aliarumque in corpore læſionum, ad cauſas abditas, reconditas, ſpirituales, ex arbitrio vel moralitate quadam agentes, non ſine detrimento artis rationalis, perfugium quæſiverint. Nos itaque in præſenti nobiliſſimum hoc argumentum, pro inaugurali ſpecimine, agitandum ſuſcepimus, oſtenſuri, quomodo ſymptomata, quæ morbis indivulſe adſociari ſolent, pleraque ex conſenſione partium, quam cum læſa parte fovent, ſuboriantur. Atque hunc in modum, favente ſummi Numinis gratia, evidentiſſime demonſtrabimus, quam utile & frugiferum ſit in pathologia & praxi medica addiſcenda, plenam & exactam ſtructuræ humanæ cognitionem habere.

§. I.

Corpus noſtrum eſſe machinam, & artificio & uſu omnibus aliis, quæ ab arte humana proficiſci poſſunt, longe ſuperiorem & perfectiorem dudum ſagaciſſimi medicorum agnoverunt. Etenim, quanto diſcrimine infinita & divina ſapientia & ratio a finita

& humana diſtat: tanto perfectius artificium eſt corporis humani aliorumque animantium, ab avtomatis & machinis hominum arte efformatis. Neque tantum artificium perfectius eſt in ſtructura corporis humani & animantium; ſed & hoc ipſis prærogativam maximam confert, quod in humana machina, præter ſentiens & percipiens internum principium, etiam ſubſtantia intelligens, ſui conſcia & libere agens, ſive ſpiritus, domicilium ſuum habeat & virtute unionis, quam Deus ſapientiſſime conſtituit, imperium non plenum illud quidem, ſed limitatum, in quaſdam corporis partes exerceat, ob quod tamen neutiquam, ut nonnullis placet, effectus machinæ, qui ſunt motus ordinati, ſtructuræ ſuæ, ſecundum immutabiles & æternas leges convenientes, ceſſant, quin potius omnes actiones & motus, qui ad vitam & conſervationem corporis, in ſe corruptibilis, ſpectant, principaliter & primario a cauſis mere externis, corporeis, & ex mechanica neceſſitate agentibus, dependent, quas utique medicus, ſi cum ratione philoſophari & operari velit, & indagare & ſcire debet.

§. II.

Neque vero facile firmius ad demonſtrandum, quod corpus noſtrum ſit machina, argumentum datur, quam mutua connexio & coordinatio, inque eundem finem conſpiratio partium, quæ undiquaque in omni machina conſpicitur, qua fit, ut unius partis vitium aut læſio mox, ob arctam connexionem, in alias transeat, adeo ut inde omnes machinæ motus inordinati fiant, vel ſenſibilem mutationem patiantur: quemadmodum videmus læſo vel unico rotulæ dente in machi-

chinis artificialibus protinus earum motus inde reddi inordinatos.

§. III.

Sicuti vero omnis machina tantummodo eum in finem conſtructa eſt, ut ex ſua ſtructura convenientes edat motus: ita etiam mutuus partium conſenſus in corpore humano, qui tot & tantorum ſymptomatum cauſa eſt, in nullo alio conſiſtit, quam in communicatione motuum, qui in vitio ſunt. Et quemadmodum non una eademque eſt partium corporis noſtri ſtructura, indoles atque uſus & finis, ſed ratione horum plurimum inter ſe differunt: ita etiam non idem & unus, ſed diverſus partium inter ſe datur conſenſus & communicatio. Primo enim animadvertimus corporis noſtri ſtructuram maxime eſſe hydraulicam, ubi fluida diverſi generis jugi & continuo motu, vi & potentia motrice cordis atque arteriarum expanſibili & contractibili, per diverſiſſimæ amplitudinis tubulos circulari in orbem motu feruntur & variæ indolis humores, pro diverſitate canalium, & ſecernuntur & excernuntur. Animadvertimus porro præter motus vitales, qui in continua fluidorum progreſſione, ſecretione & excretione conſiſtunt, in machinæ noſtræ partibus motus quosdam tenſivos, tremulos, oſcillatorios celebrari, in partium membranoſarum & nervearum ſyſtemate, qui tam motibus vitalibus ſecundandis, quam ad offerendam materiam principio, quod in animantibus eſt, ſentiendi ac percipiendi, inſerviunt. Et ſicuti hæ partes, ratione ſtructuræ & motus quoque, quos efficiunt, multum inter ſe differunt: ita etiam diſtinctus eſt inter ſe ratione naturæ & virium harum partium conſenſus, & diſtincte

quo-

quoque a medico debet proponi, utut non negandum ſit, has diſtinctas partium functiones & officia inter ſe quoque communicationem quandam fovere, adeo ut vitium, in vaſorum ſyſtemate & motu humorum progreſſivo hærens, cum ſyſtemate partium nervoſarum earumque actione communicet; & rurſus etiam vitium in nervis conſiſtens, humorum vitalium circulum perturbet. Hæc omnia vero & ſingula ſeorſim, non ſine inſigni, ut ſperare licet, uſu ac fructu ponderabimus.

§. IV.

Prima vero noſtra meditatio in eo defixa erit, ut oſtendamus, unam, & ſubinde levem mutationem in parte, ratione motus & circuli ſanguinis, factam, univerſum ſanguinis circulum in toto corpore mutare, ac turbare adeo poſſe, ut exinde ingens in obeundis partium functionibus mutatio ſuccedat, & complura ſymptomata vel producta, ex una, ſæpius levi cauſa, ſuboriantur. Atque ut eo melius ſtatus, qui fit præter naturam & morboſus eſt, rationem cognoſcamus, perplacet primo mutationes aliquas præmittere, quæ fiunt, quando ſtatus ſecundum naturam, a re quadam nova incidente, aliquantiſper in corpore alteratur. Nemo certe erit, cui ignotum ſit, ex intentiori & diuturniori voce ac ſermone univerſum corpus calore & ſudore perfundi, tranſpirationem augeri & pulſum evadere celeriorem: cujus ſubitæ & ingentis mutationis vix alia cauſa datur, quam quod citatiori facta reſpiratione pulmonum motus, quo elevantur & rurſus ſubſident, augetur, unde celerior ſanguinis per pulmones ad cordis ventriculum ſiniſtrum fit pulſio, &, quæ neceſſario conſequitur, celerior ſanguinis in dextrum ventriculum

rece-

receptio. Neque id tantum valet in partibus internis, ſed idem quoque annotamus, ubi partes quædam externæ vehementiori motu agitantur. Ita videmus in iis, qui forti & repetita manuum agitatione tympana percutiunt, vel globos invicem miſcent, univerſum corpus, cum pulſu & reſpiratione aucta, incaleſcere, eo, quod totus ſanguinis circulus inde celerior redditur. Sola pedum paulo longior & fortior frictio tantum valet, ut univerſam ſanguinis & humorum maſſam in celeriorem motum, aucto calore & tranſpiratione, conjiciat: quæ motus ſpecies eorum valetudini tuendæ convenientiſſima eſt, qui ob ſenium vel infirmitatem alio corpus motu exercere nequeunt.

§. V.

In ſtatu, qui fit præter naturam, levis ſæpiſſime in principio cauſa eſt, quæ motum febrilem provocat & omnes fere functiones corporis ſubvertit. Nam ſupra modum facta cujusdam partis diſtenſio, aut punctio ab heterogenea materia, vellicatio, aut ab iracundiæ affectu impetuoſior fluidi nervei commotio, protinus contractionem in toto fibrarum ſyſtemate, ſyſtolen cordis atque arteriarum frequentiorem & fortiorem reddit, unde ſanguinis & humorum circulus celerior fit, a quo tanta ſymptomatum, quæ febrem comitari ſolent, progenies naſcitur. Inde enim moleſtiſſimus ille calor ac fervor corporis eſt, qui, humidum & vires depaſcendo, ſitim inexhauſtam, corporis contabeſcentiam, alvi ſiccitatem, urinam paucam & ſaturate rubicundam, aſſiduam vigiliam & mentis ſubinde turbationem efficit. Nihil frequentius eſt, quam quod febres inflammatoriæ corpora infeſtent, iisque extremam perniciem minentur,

quæ nullam aliam cauſam agnoſcunt, quam quod exigua ſanguinis portio in minima &capillaria partium, inprimis nerveo-membranoſarum, vaſa preſſa, ibi immota hæreat, ubi mox omnia in œconomia functionum corporis turbantur: ſiquidem hæc ſanguinis ſtaſis membranas, ſenſu exquiſito præditas, premendo, earum tenſionem dolorem ac tumorum cauſatur, qui maxime inde fit, quod ſanguis a tergo ſuccedens per vaſa obſtructa progredi neſciat. Quia vero ob tenſionem partium nervoſarum ſyſtole cordis auctior evadit: hinc febris accenditur, ſitis fit ingens, urina rubicunda, corpus cum viribus conſumitur, vigilia premit, &, niſi matura ope ſanguinis ſtaſis diſcutiatur, corruptio partis vel purulenta vel funeſta ſphaceloſa evadit.

§. VI.

Simili modo, ubi in viſcere amplo, ut hepar eſt, ſanguis craſſior & rudior ſtagnat tardiusque progreditur, complures graves mutationes & læſiones hinc inde in liquidorum motu ac circulo contingunt. Intercepto quippe libero, per hoc ampliſſimum viſcus, ſanguinis progreſſu, is ad viſcera & vaſa vicina regurgitat, ad quæ cum majori impetu & copia ruat, fit, ut vaſorum oſcula in partibus, præſertim minus cuti denſa tectis, nimium diſtenta tandem dehiſcant atque aperiantur, unde ingentes ſanguinis, pro corporum diſpoſitione, vel per venas hæmorrhoidales vel per vaſa brevia in ventriculo, emulgentia in renibus, aut pulmonalia vel per nares fiunt profuſiones. Qua de cauſa omne fere immoderatum hæmorrhoidum profluvium, pertinaces hæmoptyſes ſæpius recurrentes, narium hæmorrhagiæ, rejectiones ſanguinis per ſuperiora & inferiora aut nimia

ſan-

ſangvinis per uterum excretio viſcus in abdomine infarctum vel obſtructum, aut alio modo male habens, pro cauſa agnoſcunt. Longe vero adhuc deteriora mala ſequuntur, ſi quando congeſto ad partes ſangvini non datur exitus & ſimul vehemens ſpaſmus inteſtina, vel alias in abdomine ſitas partes, urget, nam majori cum impetu ſi ſangvis propellitur ad cerebri interiora, quam facile plexus tenuiſſimi choroidæi aperiuntur & lethalis ab extravaſatione ſangvinis fit apoplexia. Vel ſi impetuoſior ejus raptus eſt ad caput & in vaſis membranarum cerebri ſtagnat, easque fortiter conſtringit, epilepſiæ prodeunt, vel ſi ſeroſa a ſangvine ſubſiſtente ſeparatur materia, eaque per poros in ſubſtantiam cerebri vel ſpinalis medullæ principium illabitur: comatoſi vel paralytici affectus prognaſcuntur. Quandocunque vero ſangvis ex partibus inferioribus, per ſpaſmorum vehementiam, premitur ad pectus, vel gravis eius inflammatio, vel feralis ſuffocativus catarrhus, aut multum periculi alens aſthma concitatur.

§. VII.

Quodſi vero hepatis vel lienis vaſa minima, ab occluſa materia occalleſcunt vel indurantur, utillioſi humoris & lymphæ ſecretio impediatur, non modo ſangvis bilioſo ſulphureo excremento inquinatur, ſed & lymphæ motus ac circulus plane inordinatus fit, ita ut vaſa lymphatica in abdomine nimium diſtenta, in hydatides abeant, quæ tandem disruptæ feralem lymphæ extravaſationem & partium corruptionem poſt ſe trahunt, quare cachexia, ſcorbutus, hydrops aſcites ex ſola hepatis in ſcirrhum abeunte obſtructione enaſcitur. Videmus exinde clariſſime, hos morbos magis ſymptomata & producta cauſæ morbificæ, quæ in vi-

tio viſcerum hæret, dicenda eſſe, unde etiam nec ulla medicina alia prius vinci poſſunt, quam per ea, quæ labem hanc viſcerum tollunt, & obſtructa aperiunt: quæ cum ægerrime obtineri poſſint, hinc etiam plerumque medentis intentio eluditur.

§. IIX.

Ulterius, quænam enormes læſiones partium disſitarum vaſorum uteri, a ſtagnante ibi craſſo ſanguine, ſi is effluere nequit ſolenni menſium ſpatio, infarctum inſequuntur? Profecto tunc uterus vere matrix & mater fœcunda fit plurimorum graviſſimorum morborum & ſymptomatum. In capite ſi ſanguinis impetus congeritur, pertinaces & gravativi dolores, vertigines, quandoque epilepſiæ, convulſiones, hemicraniæ, ſomni inquieti prodeunt, ſique impetus fertur ad pulmones & ad cor, aſthma ſuffocativum, pleuritides, orthopnœæ, tuſſes, phthiſis, cordis palpitationes fiunt. Sique incumbit in viſcera abdominis chloroſes, cachexia, tumores pedum, ulcera, eryſipelata, languor univerſi corporis, appetitus proſtratio ſuboriuntur, cujus indolis ſymptomata etiam in nobiliori ſexu, quando per hæmorrhoides conſuetus fluxus ſuſpenditur, enaſci ſolent.

§. IX.

Polypo ſimile concretum in dextro cordis ventriculo, quod ſæpiſſime fit, conſiſtens, quando liberum ſangvinis per pulmones circuitum intercipit, plures inordinati motus ſangvinis & humorum in toto vaſorum ſyſtemate occurrunt. Nam ſi ſangvis, ob obicem poſitum, non eadem facilitate, qua ex vena cava, in dextrum cordis ventriculum illabatur per pulmones ad ſiniſtram cordis

dis cameram, accidit, ut non modo in corde, ſed & in toto venarum ſyſtemate ſangvinis circulus retardetur, unde cor eo infarctum vehementer convellitur, hinc pertinax ejus palpitatio cum ſumma anxietate emergit. Et cum a ſtagnante ibi ſangvine ſerum tenuius ſeparatur & per auriculæ dextræ, quæ tenerioris eſt ſtructuræ, poros intra pericardium effunditur, hydrops fit pericardii. Si vero intra pleuram & muſculos thoracis ſeri fit effuſio, ingens tumor naſcitur, qui aſthma parit, quod nocte maximas ſpirandi anguſtias efficere ſolet, qui tumor, ubi tandem disrumpitur, extravaſatio ſeri in cavo thoracis fit, & hydrops thoracis gignitur, quem brevi inſuperabilis mors inſequi ſolet.

§. X.

Aſthma diuturnum ſive a polypo incorde vel in pulmonum vaſe hærente, ſive a tumore aquoſo intra pleuram contento, vel a frequentiori ſpaſmodica fibrillarum nervearum conſtrictione proveniat, ſubinde hydropicus tumor pedum, ſcroti, item abdominis comitari ſolet. Nam quando, propter expanſionem pulmonum impeditam, ſangvis difficilius per eos tranſit, fit, ut in toto venarum ſyſtemate ejus curſus reſtagnet, unde ſerum ſecedit & in poroſam ac tubuloſam præſertim pedum ſubſtantiam, a quibus ordinario ſangvinis regreſſus difficilis admodum eſt, deponitur & ſic intumeſcentia fit. In ſcroto ingens ſæpius ſeri colluvies colligitur, quia per venas ſpermaticas, in longum admodum protenſas, ægre ſangvis adſcendit & regreditur, unde a ſeri ſeceſſione & extravaſatione ingens ſcroti & genitalium tumor fit, qui vulgo, ſed minus recte, a deſcenſu ſeri extravaſati ex abdominis cavitate in ſcro-

tum deduci ſolet. Igitur quando a pulmonum vitio & reſpiratione intercepta hydrops fit, diſſectione facta cadaverum, hepar & abdominis viſcera ſalva & ab obſtructione immunia reperiuntur, eapropter, quod mala hæc a ſolo ſangvinis impeditiori per venas regreſſu ſuborta fuerunt. In phthiſi, quæ a ſubſtantiæ pulmonalis corruptione, obſtructione, exulceratione eſt, tandem tumorem pedum & alvi fluxum ſupervenientem certum funeſti eventus indicium & ſymptoma eſſe, quotidiana experientia compertum eſt. Mihi autem videntur hæc ipſa pathemata nullam aliam habere originem, quam quod, corrupta penitus pulmonum ſubſtantia, ſangvinis per hanc tranſitus difficillimus reddatur, quem anxia docet reſpiratio: hinc ſangvis in venis plus juſto coacervatus cogitur ſubſiſtere, & hac ratione ſeri fit in pedibus ſeceſſio, & in inteſtinorum quoque glandulis, unde tumor & alvi fluxus.

§. XI.

Vidimus jam eos adfectus qui ex communicatione motus & progreſſus ſanguinis, in quadam parte vel viſcere inordinati, in aliis locis exſurgunt. Sequitur jam, ut quoque nos ad eos perluſtrandos affectus accingamus, qui in nervoſis ac membranoſis partibus, quæ paulo ſubtiliori & exquiſitiori motu ac ſenſu gaudent, conſiſtunt & ex conſenſu nervorum & motuum inordinatorum communicatione mutua proveniunt. Et horum certe numerus quo major eſt, hoc plus meretur a practico conſiderari. Nam profecto ſine intelligentia conſenſus, quem nervorum paria inter ſe fovent, nihil ſolidi in pathologicis, quoad generationem morborum & ſymptomatum, ſciri vel explicari, neque

ſoli-

ſolida vel rationalis medendi methodus ſuſcipi poteſt. Siquidem uti nihil magis ſanitati recuperandæ officit, ac ſi medicus ſymptomata pro morbis habet & ad ea tantum amovenda medicinam adhibet, veras cauſas, unde prodeunt, negligendo: ita nulla doctrina & faciliori & ſecuriori praxi magis favet, quam quæ nervorum originem, communicationem & propaginem ad partes nos docet, qua cognita facillimum erit, rationes ſymptomatum dare, imo modum & cauſas oſtendere, quare hæc vel illa accidentia oriri & ſubſequi debeant. Hæc omnia vero accuratiore anatome cerebri & nervorum cognitione acquirenda eſſe: nemo cordatiorum medicorum inficias ibit.

§. XII.

Ante omnia vero medicum oportet noſſe, illas nervorum conjugationes & propagines, quæ ex cerebri inferiori ſubſtantia oriuntur, & extra calvariam delatæ ad internas partes corporis abeunt, ſiquidem per has & partes inter ſe & omnes ac ſingulæ cum cerebro ejusque membranis conſenſu fruuntur. Sunt vero hæc paria ſolenniora & notabiliora, quæ ex cerebro ad partes feruntur, duo: quintum videlicet & octavum, per quæ maxime conſenſus fit cum capite. Et quia intercoſtale ex ramis quinti paris & ramo ſexti, item octavi paris originem ſuam ſumit & cum pari octavo quoque intra cavum thoracis & abdominis plurimum conjungitur & ramis ex ſpinali medulla, intra coſtarum ſpatium prodeuntibus, increſcit, & hoc ipſum demum fere ad omnes corporis partes, quo motum, robur ac ſenſum accipiant, defertur, ideo ob hunc nervum diffuſiſſimum maxima fit partium inter ſe & cum capi-

te conſenſio atque motuum communicatio. Quia vero horum nervorum, quorum diſtributionem medicus ut noſcat, plurimum intereſt, deſcriptionem nemo accuratius & excellentius perſecutus eſt ipſo *Vieuſſen:* hinc nolumus eam repetere, ſed ingenuum lectorem ad hujus *Nevrologiam*, pro capienda & intelligenda varia nervorum diſtributione, remittimus. Nobis vero jam ſatis erit oſtendere, quomodo per hos dictos nervos partes inter ſe conſentiant & unius læſio in alias transmigret, variaque ſymptomata progenerentur.

§. XIII.

Ut autem hæc omnia, quomodo peragantur, & qua ratione præter naturam affecti nervi tantas mutationes, etiam non ſine exitio & periculo vitæ ac ſanitatis efficiant, intelligi poſſint: neutiquam nobis opus eſt, in adjumentum principium quoddam incorporeum, ſingulari ſenſu & notitia rerum, quæ corpori inſunt & ibi fiunt, inſtructum vocare, quia ejusmodi principio ad vitale negotium non opus habemus, utpote cum non ſenſus, ſed motus tantum ad producenda ſymptomata morboſa ſatis ſit. Neque diſputare hic noſtri inſtituti erit, quod & quale liquidum in nervis vehatur & quomodo ejus motus a cauſis morbificis præter naturam adficiatur, ſed ſuffecerit ſaltem noſſe, omnes motus vitales, cum ſecretionibus & excretionibus, naturales, placidos, & ordinatos eſſe, ſi in nervorum ac membranarum ſyſtemate omnia tranquilla & pacata ſunt: id eſt, ſi nullam vim patiuntur, neque ulla, quæcunque etiam fuerit, violenta motio ipſis inducatur. In genere enim hæc regula quaſi perpetuo & probe, in rationali morborum explicatione, obſervanda eſt, nullam

vim

vim vel motum pati poſſe nervos, & quæ ex iis prodeunt partes membranoſas, ſimul ac enim illæ a cauſa quadam vehementer commoventur, concutiuntur vel diſtenduntur aut comprimuntur, lancinantur, punguntur, trahuntur, protinus ratione ſenſus dolor, ratione motus contractio, criſpatura, ſtrictura & partium vicinarum, præſertim vaſorum, compresſio præſto eſt, unde magna in circuitu ſanguinis & humorum æquabili turbulentia atque confuſio exoritur.

§. XIV.

Sola perverſa & minus rationalis cogitatio & impreſſio, quæ ſub animi quodam impetu fit, quæ & directe & proxime nervoſas invadit partes, ingentes turbas in tota œconomia motuum vitalium & animalium excitat. Sciendum autem eſt, vim perverſæ cogitationis & impreſſionis nihil corporei eſſe, attamen, ſimul ac influit in corpus, & nervoſas partes præter naturam commovet, meros effectus corporeos videlicet vel partium vehementem ſtricturam, contractionem aut earum reſolutionem, laxitatem, flacciditatem producit. Quare etiam ea remedia, quæ ſpaſmodice contractos nervos molliunt, leniunt & efferos motus ſedant, perquam feliciter acerbis illis ſymptomatibus, quæ animi impetuoſior quidam motus concitat, opponuntur. Eum vero in finem hæc adduximus, ut addiſcamus, ab animi motu ceu ideali atque incorporeo tantum actu univerſum genus nervorum ita affici & commoveri poſſe, ut omnium partium munera inde labem contrahant & periclitentur.

§. XV.

Ulterius quanta læſio & pernicies toti corpori accedat ex gravi percuſſione capitis & cerebri, ac principii nervorum inde facta ſola commotione, ſalva partium internarum textura, ſenſuum abolitio cum corporis lapſu in terram, nauſea, vomitus, omnium virium ſimul & ſemel facta convulſio ſatis abundeque declarant. Et quod magis mirandum eſt, ſola commotione corporis & capitis externa, in ſano homine, confeſtim acerba ſymptomata produci poſſunt, cujus rei exemplum poteſt edere navis maris fluctibus jactata, vel in gyrum circumacta, qua vertigo, nauſea, enormis vomitio cum ſumma anxietate, pallor faciei, virium languor, appetitus proſtratio inſuetos ſatis miſere excruciare ſolent, quæ morborum ærumnæ vix ullam aliam agnoſcunt cauſam, quam quod nervorum in capite principium inſueto motu agitetur & commoveatur.

§. XVI.

Igitur minimæ molis ſæpius materia & leviſſima cauſa, modo in nervoſis partibus inſuetam quandam motionem vel agitationem excitare poſſit, magnis præter naturam motibus provocandis apta eſt. Fumus tabaci, etiam non adeo magna quantitate ore hauſtus, quas non ingentes anxietates cum ſudore frigido, faciei pallore, vomitione, nauſea ad animi fere usque defectionem huic inſuetis producit. Effluvia ſtupendæ quanquam ſunt exiguitatis, quæ ex ſuaveolentibus moſcho, zibetho & floribus jaſmini exhalant, attamen tantæ efficaciæ ſunt, ut feminam, cujus nervi enormibus anomalis contractionibus adſueti ſunt, id eſt, quæ ſecundum veterum loquendi modum ſenſibiliſſimæ

ſunt

ſunt indolis, vehementiſſime adfligant ſyncopen inferendo uſum vitæ ad tempus tollant, ; corpora humi proſternant vel graves & anxias & ſuffocatorias pectoris oppreſſiones & ſpirandi anguſtias concitent, quæ aſpectu horrenda ſymptomata, fœtido naribus admoto vapore, ex tempore & miraculi inſtar ſiſti poſſunt, eam videlicet ob cauſam, quod exhalationes tenuiſſimæ ſulphureæ intimæ ad nervoſas partes ſint admiſſionis, & contrarium ſuaveolentibus effectum, nempe ſedativum ipſis conferant. Etenim quando vapor, odore per nares ſuſceptus, nervorum ramulos, ex quinta conjugatione prodeuntes, præter naturam afficit, protinus hujus inſueti motus communicatio, mediante pari intercoſtali & octavo, tranſit ad fauces atque ventriculum, cor & pulmones, unde horum ſymptomatum ratio petenda eſt.

§. XVII.

Simili ratione quando ſubtiliſſime cauſtica materia, ſive venenata, in cute ſauciata nerveæ fibrillæ interius tanguntur, quod fit, ſi cum punctura vel morſu virus ſeſe altius inſinuat, in morſu viperæ, ſcorpionum, canis rabidi vel inſtrumento ſucco hellebori albi, oleo tabaci aut linimento, quod arſenicum ingreditur, imbuto, in quas non horribiles univerſum ſyſtema nervorum commotiones & ſpaſticas ſtricturas conjicitur; unde acerbiſſimorum, maxima ex parte lethalium ſymptomatum origo. Febris enim, ſyncope, ſudor frigidus, faciei pallor, vomitus, nauſea, flavus color faciei, artuum convulſio, mentis emotio, alvi pertinax conſtrictio, urinæ ſuppreſſio, ſumma anxietas, inquietudo, ſpirandi anguſtia, nonniſi affectus ſunt præter naturam

& ſupra modum generis nervoſi commoti, quibus graviſſimis & certam deſperationem habentibus adflictionibus non alia ratione, niſi mature, & ſtatim inter initia, antequam motuum vitalium œconomia prorſus deſtructa fuerit, medicina, eaque ſpecifica, ſuccurrere licet. Nam, ſi unquam tantopere a medicis collaudata ſpecifica locum inveniunt; certe tunc opem conferunt præſtantiſſimam, ubi genus nervoſum ex minima, virulenta tamen cauſa in peſſimos, vitæ inimicos motus & contractiones abreptum fuerit; ſi videlicet contrariæ indolis materia inſtructa eos maturiori exhibitione cita ope compeſcunt. Quam gravia & funeſta ſymptomata ad medicamentorum ſepticorum, ut eſt arſenicum, applicationem partibus tendinoſis & nerveis exterius tantum adplicatorum ſequantur, legi meretur *obſ. 80. Cent. VI. Hildani* qui refert, virum robuſtum, qui tumore cancroſo laboraſſet, ipſique chirurgus pulverem ex arſenico applicuiſſet, mox in dolorem vehementem, vigiliam, febrem ardentem & continuum cibi faſtidium ac vomitum incidiſſe & tandem delirio & ſyncope exorta intra paucos dies mortuum fuiſſe.

§. XVIII.

Neque tantum a fluida materia, ſed a ſolida & rigida, quandocunque nervi portio læditur, acerba & gravia in toto corpore viſuntur ſymptomata. Ita tenuiſſima acu vel lanceola, ex puriſſimo chalybe confecta, quando in ferienda vena improvide læditur ſubſtratus nervus vel tendo, in corpore etiam exquiſite ſano, dolor, tumor durus, partis inflammatio, cum horrore, febre, vigilia & quandoque, niſi cito ſuccurramus, ſphacelus & mors conſequitur. Qualia triſtia exempla

empla complura ſæpius, non ſine dolore, in praxi conſpiciuntur. Neque tantum chirurgi, qui has plagas inferendo primam occaſionem malis ſubminiſtrant, ſed & ipſi maxime medici, qui progredienti malo commoda medicina, quæ tantummodo in principio in unico emolliente conſiſtit, non ſatis dextre & mature occurrunt, inculpandi ſunt. Anni jam aliquot exacti ſunt, ubi juvenis, medicinæ operam dans, valde ſubito febre, cum ſiti, vigilia, ſumma anxietate levique delirio corripiebatur, quæ cum per ſex dies duraſſent, in conſilium vocor: inquiſivi in cauſam; edixit bene ſe ſanum & valentem fuiſſe, ſimulac vero cuſpis cultelli ſcriptorii, de menſa forte elapſi, incidit in dorſum pedis ingentem dolorem ibi fuiſſe excitatum, & ab eo tempore graviter ſe laboraſſe. Locus affectus erat durus, tumidus & pruni coloris; adplicuimus cataplasma emolliens ex floribus emollientibus, croco etiam, in lacte decoctum, inſuper dedimus emulſiones papaveraceas cum pulveribus bezoardicis, quo facto mox omnia ſymptomata interitum minitantia ex toto conquieverunt. Quam infeliciter pedum clavi in ſenio præſertim confectis & ſcorbuticis corporibus non raro diſcindantur, triſtiſſimis exemplis ac hiſtoriis indies fere edocemur, tendinibus enim cum ſuperſedeant clavi; hinc quo altius demittitur cultelli cuſpis, eo facilius fit, ut tendo ſubjectus pungatur, unde exitialis, ob ſphacelum exortum, corporis ruina pendet. Spina vel levis feſtuca membranoſis, vel tendinoſis locis altius, v. g. infra ungues, defixa, brevi, etiam in ſano homine, ſimilis generis ſymptomata, dolorem, tumorem, ruborem, partis pulſationem & febrem, cum ſiti & vigilia,

 parit

parit, *Hildanus Cent. IV. obſ. 2.* complura exempla proponit, ubi a punctione ſpinæ in pede vel in digito manus facta dolor maximus, inflammatio, febris, delirium & ſphacelus obortus fuit. Non ita pridem à cauſtico, ad excitandum fonticulum, in loco incongruo, improvide poſito, in honoratiori femina ingentem totius brachii tumorem, doloremque usque ad humeros & pectus pertingentem, cum febricula notavimus, ubi tamen mox externis & internis convenientibus auxiliis, divina ſub Numinis gratia, ſuppetias tulimus. Quod vero ſphacelus, præſertim in extrema ætate & ſcorbutico corpore, tam facile nervoſarum partium præſertim extremis membris inſideat, id non tantum propter nervorum læſionem fit, ſed quod exinde membranæ nerveæ conſtringantur, & interpoſitis numeroſis venis & arteriis ſanguis immotus detineatur, qui in ſphaceloſam corruptionem quam facile ruit.

§. XIX.

Quam gravia ex punctura veſparum, præſertim in locis membranoſis & tendinoſis, ut ſunt carpi manuum, tempora, capitis, juncturæ artuum, pathemata ſuboriantur, compluribus obſervationibus, hinc inde in medicorum clariſſimorum monumentis annotatis, edocemur. Inter has notabilis eſt ea, quam in medium producit *Hildanus Obſ. 87. Cent. IV.* ubi femina a veſpa punctionem circa carpum ſiniſtrum accepit, & protinus ingens dolor in loco affecto, cum lipothymia, exortus eſt, qui ab initio manum quidem & carpum ſolum occupavit, mox tamen per totum corpus expanſus & acerbior factus eſt. Eodem die etiam veſicæ, ſeroſo & pellucido humore repletæ, exortæ ſunt; con-

valuit tamen inunctione facta ex oleo ſcorpionum. Et *obſervatione 80. l. c.* refert juvenem robuſtum & plethoricum a veſpa in dextrum faciei latus, haud procul a minori cantho oculi, punctum fuiſſe, ubi ingens dolor & inflammatio cum gangræna faciei ſecuta eſt. Idem laudatus auctor *Cent. V. Obſ. 25.* hiſtoriam inſinuat, ubi puellæ empiricus liquorem in aures inſtillavit incredibili dolore poſtea febre, vigilia & dolore ſubſequente. Et *Cent. I. obſ. 4.* mentionem injicit hiſtoriæ, ubi puellæ in concavum auris globulus vitreus inſtar piſi illapſus eſt, quo facto mira ſymptomata ſuccedebant, tota pars illa capitis usque ad futuram nocte dieque doluit, accedebant etiam ſiniſtro brachio ſtupores usque ad digitos pollicem & indicem, progredientes ad lumbum usque, tibiam & pedem, tuſſicula ſicca aſſidua aderat, menſtrua ſupprimebantur, acciderunt epilepticæ convulſiones & ipſum brachium in atrophiam incidebat: quæ cuncta acerba ſymptomata, feliciter extracto globulo, ſimul & ſemel conquieverunt. Hæ adductæ obſervationes ſatis abundeque id confirmant, læſiones nervoſarum partium, quæcunque fuerint & ex quacunque etiam cauſa exortæ fuerint, propter communicationem, quam nervorum propagines inter ſe habent, mirifice functiones partium etiam diſſitarum lædere & conturbare poſſe.

§. XX.

Quia vero nulla in univerſo corpore pars majorem conſenſum communicationemque cum omnibus corporis partibus, præſertim nervoſis & membranoſis fovet, quam ventriculus & jiis totointeſtinorum canalis: & cum etiam nullus locus ad generandas morborum cau-

cauſas, ac hic ipſe, aptior ſit: atque exinde vitium atque pernicies in univerſum corpus diffundatur: proinde non incommodum nobis videtur, inſignem illum harum partium cum reliquis corporis locis conſenſum paulo accuratius determinare, quo futurum ſperamus, ut in originem ac rationem variorum inſolitorum ſymptomatum, quæ morbis adſociantur, haud difficili negotio deveniamus. Primo vero conſentit ventriculus cum œſophago, hinc fit, ut a digito tantum faucibus intruſo & principium œſophagi, irritante protinus ventriculus, præſertim humorum copia onuſtus, ſubvertatur & vomitio fiat. Et quando in ventriculo acris reſidet humor vel inflammatio eſt, œſophagus cum faucibus moleſte conſtringitur, ita ut non raro copioſa aqua in os effundatur, quod unum ex peſſimis indiciis eſt. Infantibus, quorum ventriculus ſaburra cauſticæ bilis infarctus eſt, convulſionis certa ſpecies moleſta & fatalis eſt, dum ii, ſpasmo gulæ adfecti, continuo deglutire coguntur & certum ſonum cum quodam ſingultu edunt, quæ ſymptomata identidem ab irritatione ventriculi, œſophago, faucibus & diaphragmate in conſenſum raptis oriuntur. Fovet quoque ventriculus conſenſum cum inteſtinis: unde ſub atrociſſimo inteſtini ilei vel etiam coli dolore vomitus tam vehementes fiunt, ut non modo inteſtinis contenti humores, ſed & ipſa ſtercora haud raro ſurſum ferantur.

§. XXI.

Deinceps magna eſt conſenſio ventriculi & annexi duodeni cum ipſis biliariis ductibus, eam maxime ob cauſam, quod ductus cholodochus per duodeni membranas feratur, partim, quod dexter nervi intercoſtalis & paris

octavi ramus, qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar ejusque biliarios ductus emittat. Propter hunc conſenſum fit, quod a ſpasmo ventriculi & duodeni, qui in febre tertiana obſervatur, item a vehementi vomitorio, vel purgante aut veneno adſumto, vel ab atroci dolore colico icterus fiat. Infantes tertio vel quarto a partu ſæpius die ictero corripi, ex retentione meconii in inteſtinis, auctor eſt *Baglivus*, *vid. ejus opera pag. 38.* Iracundiæ vehementiori icterum ſupervenire non novum eſt, ſiquidem ab hoc affectu patitur maxime fibroſior & robuſtior pars ventriculi, quæ pyloro adjacet, dum conſtringitur: unde ordinario in dextro circa ſcrobiculum cordis latere, ab ira, dolor compreſſorius cum adſcenſu bilis ad os obſervatur. Quodſi vero vel calculo, vel bilioſo alio concreto tartareo humore, in veſicula fellea aut ductibus biliariis contento, horum tunicæ nerveo-muſculoſæ violenter tenduntur; in conſenſum quoque abripitur ventriculus & hinc immanis cardialgia, nauſea, vomitus, cibi faſtidium cooritur. Memorabilis & lectu digniſſima eſt obſervatio, quam *Miſ. Nat. Curioſ. A. VI. Dec. I. obſ. 220.* referunt, ubi mulier immaniſſimum dolorem & lancinationem ventris per triginta fere annos paſſa eſt, cujus originem & cauſam ſagaciſſimi etiam medicorum vix penetrare poterant, poſt mortem inventus eſt ingentis magnitudinis calculus, qui totam fere veſiculæ felleæ cavitatem implebat. Conferatur quoque *obſ. 61. Sculteti in Armamentario.*

§. XXII.

Præterea magnæ conſiderationis ea eſt conſenſio, quam renes cum ventriculo & inteſtinis, propter communionem nervorum, habent. Ita nihil frequentius eſt,

 quam

quam quod dolores ex calculo indivulſe fere nauſea & vomitus comitetur, & calculoſos tormenta inteſtinorum torqueant: nam quando ren calculo laborat, abdomen ſemper multis flatibus turget, qui majores faciunt moleſtias, quo gravior dolor eſt, imo ipſæ flatulentiæ ſæpiſſime dolorem renum provocant & calculum in ureteres urgent. Providendum itaque eſt calculo obnoxiis, ne abdomen frigori exponant, alias facile dolor renum irritatur. Si quis dolore ex calculo premitur, digeſtio turbatur, ſtagnant ingeſta in ventriculo, aceſcunt, & bilis viridis evomitur: faciunt tunc egregium officium clyſteres carminativi & emollientes oleoſi, nec non omnia ea, quæ citra calorem flatus diſpellunt & dolorem lumborum mitigante facultate pollent. In ſpaſmis flatulentis ventriculi, qui affectione hypochondriaca vel hyſterica detentos torquent, moleſta criſpatura identidem ad renes pertingit, ita prorſus, ut eorum tubulis conſtrictis, urina alba mingatur, quæ certum fere paroxysmi hyſterici vel hypochandriaci imminentis indicium præbet.

§. XXIII.

Longe vero major eſt ille conſenſus, qui ventriculo & inteſtinis cum capite intercedit, quare ex colica, facile fit paralyſis, epilepſia, apoplexia. In viro generoſo hypochondriaco & arthritico triſtiſſimum conſpeximus caſum, ubi immoderatior hæmorrhoidum fluxus ab improvida adſtringente & opiata medicina confeſtim fuit cohibitus, ſecuta hinc fuit coli, quod ſiniſtrum latus occupat, firmisſima conſtrictio, qua ſangvis impetuoſius ad ventriculum & caput urgebatur, unde ventriculi & meningum inflammatio lethalis cum convulſione intra duos dies coorta eſt. A dolore

& ar-

& arroſione ſtomachi convulſionem comitialem *Cl. Verzaſcha Obſ. 23.* nobis inſinuat. Dolor capitis pertinacior frequentiſſime ex cruditatibus acidis, in ventriculo hærentibus & ſpaſticis conſtrictionibus ad caput pertingentibus, naſcitur & egregie pillularum balſamicarum & ſtomachicorum, quæ acidum primarum viarum corrigunt, & flatus diſcutiunt, blandam chyli ſpirituaſcentiam promovent, alvumque laxant, oppugnatur.

§. XXIV.

Dolores ex affectione ſtomachi partem corporis anteriorem ordinario afficiunt, & videmus paſſione hyſterica detentas in vertice capitis ſenſum acerrimi frigoris habere. Ventre pleno caput repletur & pleno capite venter in officio turbatur, ſoluto capite reſtituitur. Qua de cauſa dici vix poteſt, quanta vis & efficacia clyſterum & leniorum purgantium in morbis capitis leniendis ſit. Quid frequentius eſt, quam ſub frequenti capitis dolore ſtomachum ad vomitum ſollicitari, alvum claudi & contenta, in ventriculo & inteſtinis diutius detenta, aceſcere & corrumpi? & nihil crebrius viſitur, quam quod paulo graviorem capitis vel membranarum cerebri, a violentia externa, inductam læſionem protinus vomitiones ſequantur. Omnes fere convulſiones infantum a ſtomacho oriuntur, unde in lenioribus laxantibus & emeticis, quæ primam regionem a vitioſa materia liberant, optimum auxilium. Neque hic conſenſus ventriculi cum capite *Hippocrati* fuit ignotus, cujus veſtigia extant in *libro de loc. in homine. Cum venter egeſtionem non fert & cibus ingeratur, humiditas a ventre obſtructo acervatim ad caput viam facit & a capite rurſus in ventrem pervenit ibique morbum facit.*

§. XXV.

Immoderatiora ſtudia, & inquieta animi fatigatio, incredibili modo debilitant ventriculum ejusque vim digeſtivam enervant tonumque & robur auferunt, unde acidæ cruditates gignuntur, quæ ad ſupprimendam alvum, ad progignendas flatulentias malumq; hypochondriacum, primum fere fundamentum ponunt. Vertiginem ex ipſo ventriculo fieri vel ex eo cognoſcitur, quod, ſi quis jejunus ſit, maxime adfligat, ſumto vero cibo, minuatur atque poſt ea, quæ primam regionem clementer expurgant & digeſtionem juvant, malum conquieſcat. Ventriculo bene habente totum corpus alacrius eſt, ſomnus fit placidus, is vero ſi onuſtus eſt alimentis incongruis, præſertim circa noctem ſumtis, ſomnus deficit vel inſomniis terrificis interturbatur. Nihil notius eſt, quam ventriculo vino non adeo bono repleto, ſi illud ibi detineatur & corroſivum acorem contrahit: atroces capitis procreari dolores.

§. XXVI.

Profecto conſenſionem ventriculi cum univerſo nervorum genere inter cœtera alia confirmant ſymptomata gravia, quæ ſubinde hypochondriacos exercere ſolent, & cauſam mali plerumque habent in ventriculo ac inteſtinis, in quibus ſpaſmi incipiunt & poſtea per propagines nervorum ſucceſſive ſerpunt & conſueta illa ſymptomata ingenerant. Nam ſi ventriculus, quod ſæpiſſime fit, flatibus prorſus diſtentus eſt, ejus tunicis ſimul ſpaſmo conſtrictis: tunc nervorum conjugationes, quæ ex pari octavo, item ex intercoſtali ad hunc feruntur, moleſta tractione, tenſione in partibus diverſis, quas ſimul

mul tranſeunt, diverſa & gravia invehunt pathemata. Ita nervi pnevmonici & qui ad præcordia abeunt, contracti, faciunt ſummas & conſtrictivas anxietates, cordis tremores, palpitationes, ſique ii tenduntur, qui ad fauces, ad œſophagum, ad cervicem tendunt, faucium conſtrictio cum deglutitione difficili, tractio moleſta in cervice, dolor conſtrictivus in humeris, regurgitatio ciborum & flatuum ad os, cordis palpitatio, in capite vero vertigo, oculorum caligo, catarracta ſpuria, capitis dolor, frigoris ibi acerrimi ſenſus, anxia & triſtis cogitatio, hemicrania, animi perpetua anxietas & deſperatio maxima, ad timorem, ad terrorem proclivitas, nullius rei voluptas, ſomnus parcus & inquietus, virium languor oriuntur. Et quia ſimul plexus meſenterici & nervi intercoſtales in conſenſum trahuntur, dolores adſunt dorſi, tormina ventris, menſium & hæmorrhoidum inordinatus fluxus, dolor artuum: quorum omnium & ſingulorum ſymptomatum ingens fit allevatio diſcuſſis ex ventriculo & inteſtinis ructibus, aut flatibus & ſpasmodicis conſtrictioniper clyſteres, per balnea & antiſpasmodica ſedatis, & viſcida acida ac bilioſa colluvie per benigna laxantia, cum amaris balſamicis juncta, educta.

§. XXVII.

Conſenſionem quoque & communicationem ventriculi cum partibus nervoſis univerſi corporis, paroxyſmi febrium intermittentium non obſcure declarant. Procul enim omni dubio harum febrium minera primis in viis deliteſcit & ex univerſo corpore per glandulas, ductus biliarios, pancreaticos in hæc loca deſcendit & ex mora, dum firmius tenuium inteſtinorum valvulis ac tunicis inhæret, corrumpitur & peſſimam indolem con-

trahit, & nonniſi ſpaſmis, qui in prima regione incipiunt, omnia illa, quæ febribus ſolent adſociari ſymptomata, abſolvit. Nam extremorum frigus, tremor & horror partium, præcordiorum anxietas, pulſus in principio parvus & compreſſus, poſtea celerior, nauſea, vomitus, faucium & linguæ ariditas, ſitis, dolor dorſi & capitis, tenſio abdominis, conſtrictio alvi, urinæ tenuis & flammeæ ſine ſedimento ſeceſſio, pandiculatio, oſcitatio, dolor oſſa quaſi contundens: profecto nullam aliam nanciſcuntur originem, quam quod plexus ſtomachici, meſenterici, qui ex intercoſtali & octavo pari oriuntur, vehementi ſpaſtica tractione & conſtrictione laborant, quare etiam non certior & præſentior intermittentibus medendi eſt methodus, quam, convenienti medicina mineram febrilem temperandi, expellendi, & vehementes ſpaſmos compeſcendi & poſtea adflictas & debilitatas partes roborandi. In eo autem unice latitat intermittentes curandi arcanum, ut pro diverſitate cauſarum, individuorum ac temporum, hæc remedia debito ordine, tempore ac doſi offerantur.

§. XXVIII.

In plurimis exanthematicis & acutis paſſionibus, quæ non gravia in principio, ante eruptionem, conſpiciuntur ſymptomata? dolor dorſi & capitis acutus, nauſea, vomitus, alvi fluxus vel pertinax ejus ſuppreſſio, præcordiorum anxietas, inquietudo, tuſſis, frequens ſputatio, extremorum frigus, pulſus frequens & compresſus, febris, delirium, epilepſia, tendinum ſubſultus profecto nihil aliud ſunt, quam ſpaſmorum ſoboles, quæ in ventriculo & inteſtinis, in cujus cavitate vel etiam membranis materia cauſtica acris reſidet, primum incipiunt,

poſtea

poſtea ad eas partes, quæ cum ventriculo, propter communionem nervorum, conſortium habent, tranſeunt. Nam ſimulac materia morbi ad habitum corporis propellitur; mox omnia illa acerba ſpaſtica ſymptomata diſcutiuntur.

§. XXIX.

Sed nec prætereundæ ſunt eæ læſiones partium nervoſarum, quæ intra corpus conſiſtunt. Ita certe mirandum eſt, quam horrenda ſymptomata exinde ſubſequi ſoleant. Inſigne hac de re exemplum edidit idem laudatus *Hildanus Cent. I. Obſ. 34.* ubi aciculam grandiuſculam forte quæpiam deglutivit, ex quo non ita multo poſt in fundo ventriculi & circa pylorum exortus eſt tam vehemens dolor, ut dies noctesque exclamare & ululare coacta fuerit; ſexto die a morbo phrenetica facta eſt, cum ardentiſſima febre, lingua arida, vultu inflammato, ut neminem agnoſceret, nec cibum & potum expoſceret. Convulſiones colli, brachiorum & crurum maximæ & horrendæ aderant. Aliquando ſeſe ex una in alteram partem lecti tali impetu projiciebat, ut tres viri, quantumvis robuſti, vix illam tenere poſſent. Videbatur a dæmone obſeſſa, aliquando per horam integram conquieſcebat & tandem ſemimortua jacebat, rurſus & repente priora ſymptomata revertebantur. *Hildanus*, optimo conſilio, nihil niſi oleoſa & juſcula præcepit & cum aciculam tandem egereret, priſtinæ ſanitati paulo poſt reſtituta eſt. Hæc certe hiſtoria a medico probe conſideranda eſt, quippe quæ ingentem lucem accendit productioni atrociſſimorum ſymptomatum a vermibus in ventriculo & inteſtinis hærentibus, & eorum membranas rodentibus: varia enim & acerbiſſima ſunt, quibus tam

in-

infantilia quam juvenilia interdum corpora exercentur. Quam horribiles convulſiones & artuum agitationes, contorſiones, mentis emotiones, aphoniæ, epilepſiæ, cardialgiæ, tuſſes, tormina, febres hecticam vel pleuritidem mentientes, cum anxietate & maxima virium proſtratione non inde obſervantur? ita prorſus, ut incantationi vulgus horrenda hæc pathemata adſcribere ſoleat. Quam imprudenter vero ſub tam gravi generis nervoſi adflictione acria, ſalina, purgantia, acida, mercurialia, vitriolacea, ad interficiendos vermes, præſcribantur: & ratio docet & experientia confirmat, utpote iis exhibitis major generis nervoſi fit irritatio & ſymptomatum ſævities increſcit. Cautiſſime igitur ſemper mercandum eſſe cum anthelminticis auctor ſuaſorque ſum, ne, dum vermes enecare volumus, graviora mala excitemus. Unde certa & crebra experientia conſtat, demulcentia, lacticinia, oleoſa & ſedativa ad compeſcendum ſymptomatum impetum plus valere, quam ſic dicta ſpecifica atque acriora purgantia, quorum efficacia ſuo loco & tempore, & quieſcentibus ſymptomatibus, non ſua laude privanda eſt.

§. XXX.

Neque vero ullibi graviora & magis funeſta, per conſenſum in nervoſo ſyſtemate concitata ſymptomata conſpiciuntur, quam a veneno ſpiculis acerrimis, cauſticis, tenuiſſimis ventriculi & inteſtinorum tunicas nerveas arrodente, ut ſunt arſenicum, & quæ ex mercurio & regulina antimonii ſubſtantia prodeunt corroſiva. Ex vegetabilium regno valentiora purgantia, cicuta aquatica & fungorum varia genera, quæ non alio modo necant, quam per fortisſimas ſpaſticas univerſi generis nervo-

nervoſi contractiones, inde enim cardialgia, vomitus, ſingultus, tormina atrociſſima, præcordiorum anxietas, ſpirandi anguſtia, conſtrictio diaphragmatis, ſingultus, linguæ ac faucium ariditas, ſitis inexhauſta, urinæ & alvi ſuppreſſio, extremorum refrigeratio, ſudor frigidus, color faciei plumbeus, artuum tremor, pulſus intermittens & ſuppreſſus, delirium, animi deliquium, epilepſia, convulſio, inquieta corporis agitatio, quæ ordinaria ſunt veneni adſumti ſymptomata, originem ſuam habent, atque ab arroſione tunicarum ventriculi fiunt. Et tametſi in iis, qui veneno corroſivo necantur, ventriculi & inteſtinorum inflammatio ac ſphacelatio ſemper poſt mortem conſpiciatur, tamen neutiquam hæc tantorum ſymptomatum & tam celeris mortis cauſa eſt, ſed potius horrendi illi per totum genus nervoſum propagati ſpaſmi, quorum ſoboles ea in inteſtinis & ventriculo conſiſtens inflammatio eſt, feralē vitæ cataſtrophem inferunt. Nam ſpasmo veluti forti vinculo conſtrictis ventriculi venis & arteriis ſanguis immotus hæret, & regredi neſcit, inq; corruptionem tranſit; ex quo jam facile intelligi poteſt, quare non præſentius & certius adverſus corroſiva venena ſit præſidium, quam in copioſo lactis, oleoſorum atque emollientium uſu, quæ non modo ob id mortem depellunt, quod tenuiſſima veneni ſpicula atque acies contextu ſuo oleoſo, viſcoſo involvant, ſed quia etiam ad conſtrictas nervoſas partes relaxandas vix ullum melius, quam in hiſce eſt auxilium. Choleram in morborum celeriter necantium numero eſſe praxeos exercitiis qui vacant, non ignotum eſt, neque diſſimilia ſed plane eadem ac ſi venenum adſumtum fuiſſet, obſervantur ſymptomata: bilis nempe

cauſtica ventriculi tunicas arrodens in conſenſum rapiens nervorum genus tam truculenti affectus & mortis cauſa eſt, unde etiam non aliis remediis, quam quæ veneris cauſticis opponuntur, ut ſunt demulcentia oleoſa, lacticinia, terrea, antiſpasmodica, expugnatur, quod etiam valet in dyſenteria, quæ a ſimilis indolis erodente humore naſcitur.

§. XXXI.

Neque exiguus ventriculi & inteſtinorum conſenſus eſt cum pedibus, qui innumeris tendinibus & nervis atque membranis conſtant: nam ex inſeſſu pedum in pavimento frigido tormina ventris atrocia quam facile excitari poſſunt. Et in praxi frequentiſſimum illud viſitur, quod refrigeratis plantis pedum non modo tranſpiratio ſiſtatur ſed & expulſio materiæ critica non ſine maximo damno impediatur. Atq; adeo multum prodeſt plantas pedum calore fovere, ſi ad habitum corporis maligna materia deferri debeat.

§. XXXIII.

Neque minorem ventriculus cum diaphragmate & pulmonibus habet communicationem. Quid enim familiarius eſt, quam in infantibus ventriculo eorum refrigerato vel materia acri ejus tunicis inhærente ſingultum concitari, qui thoracis eſt convulſio? Quid ſolennius eſt, quam a cruditate ventriculũ obſidente, vel ſero acri intra ejus membranas detento tuſſim naſci convulſivam in infantibus non raro ſuffocatoriam, quæ pectoralibus & dulcibus aſſumtis plus exacerbatur, acrimoniam vero corrigentibus, emollientibus, atque diſcutientibus, neque minus lenioribus laxativis expugnatur. Quid porro crebrius occurrit in praxi, quam quod a violenta tuſſi vitio hæren-

hærente in bronchiis vomitus concitetur? Nihil vero magis evenit, quam ut ab inflatione ventriculi ſumma fiat ſpirandi anguſtia cum ſuffocationis periculo, quod ſymptoma in infantibus, quorum ventriculus a lacte corrupto infarctus eſt, ſæpius viſitur, ubi leni emetico vel quæ leniter alvum ducit medicina omne punctum curationis abſolvitur. Et inteſtina multum commercii habere cum pulmonibus vel ex eo ſatis clare apparet, quod in tuſſi humida, qua magna humorum collavies educitur, nullum certius præſidium ſit, ac in lenioribus & balſamicis laxantibus, ut ſuperflui ſeri ad glandulas inteſtinales fiat metaſtaſis. In convulſiva tuſſi ex ſtomacho tantam pectoris vidi concuſſionem, ut ſternutatio impetuoſa & reiterata cum ingenti ſanguinis vel lymphæ profuſione e naribus facta fuerit.

§. XXXIII.

Tandem nec ſilentio prætermittere oportet conſenſum, qui eſt inter ventriculum & inter ipſam cutem. Videmus exanthemata, quæ in cute conſiſtunt, cujuscunque etiam fuerint generis, repulſa non ſine ingenti periculo ad ventriculi & inteſtinorum tunicas migrare, ubi ferales ſpasmos, tormina, anxietates, conſtrictiones alvi & inflammationes efficiunt. Non ſemel obſervavimus ab induſiorum, præſertim ſi frigida & humida fuerint, mutatione in ſanis etiam ventris inflationes & inquietas noctes redditas fuiſſe. Quo patet, quam gravem noxam ejusmodi improvidus auſus in morbis, quorum materia per ſummam cutem expelli debet, cauſetur. Quandocunque dolor ventriculum vel inteſtina torquet, pori cutis clauduntur & nihil ſudoris effluit, extrema refrigerantur; meatibus vero cutis rurſus adapertis certum in-

 dicium

dicium eſt doloris aut alvi fluxus finem adeſſe. Si variolarum materia ſubtilis cauſtica inteſtinorum membranis inſidet, ægri ſunt inquieti, jactabundi, loco ſtare neſciunt & ne minima puſtula exit in cute, neque ſudoris guttula proſilit alvo contracta & convulſa, adeo ut univerſum cutis ſyſtema contrahatur, quod probe notavit *Baglivus in praxi.*

§. XXXIV.

Et quia nervi ſtomachici & inteſtinorum ex intercoſtali & octavo pari coaliti cum pari quinto, cujus ramus ad maxillas & dentes fertur, communicationem habent, hinc fit, ut in infantibus ob gingivalis carnis ab erupturo dente lancinationem non modo in capite convulſiones, vigiliæ & epilepſiæ, in pectore aſthma, in corde febris, ſed & in inferiori ventre tormina cum alvi adſtrictione vel nimia ejus fluxione fiant &, quod notabile eſt, feces virides & corroſivæ evadant, eo quod a ſpaſtica harum partium ſub dolore contractione ingeſta non alvo excluſa, ſed diu retenta aceſcant & corroſivam indolem accipiant. Ex quo judicare promptum eſt, quam imprudenter & temerarie ii faciant, qui in dentitionis difficultate, ubi ſpaſmi genus nervoſum vehementer torquent, & feces virides ſunt, purgantia acria & cum mercurialibus mixta iterum iterumque propinant, triſti eventu imprudens ejusmodi conſilium ſatis confirmante. Atque ob eandem communionem, quam nervi ſtomachici & inteſtinales cum pari quinto fovent, accidit in gravioribus ſtomachi ſpasmis, qui fiunt a veneno vel validiori purgante aut emetico ſumto, faciem fieri Hippocraticam, tempora collabaſci, vultum palleſcere & naſum fieri acutum. Neque ſemel ſed iterum iterumque notavimus, in pathematibus

hyſte-

hyſtericis vultus deformitatem & aſpectu horribiles oris & labiorum & oculorum tractiones. Et cum nervus intercoſtalis ad crura etiam pertingit, & nervum cruralem anticum & poſticum conſtituit, conſenſio quoque inter pedes & caput fovetur & hinc petenda venit ratio, quare digitorum in pedibus immanem dolorem, quod aliquoties vidimus, ſpasmus cynicus ſubſequatur & quare ex pedis pollice epilepſia non raro ſuam habeat originem, dum ſpasmus dolorificus ibi incipiens ſucceſſive adſcendit & primo ad abdomen, poſtea ad cor & diaphragma, tandem ad caput delatus, abdominis tenſiones, præcordiorum conſtrictiones, pectoris oppreſſiones, aphoniam, denique convulſiones & epilepſiam producat. Ægroti exprimunt ſenſum quaſi venti a pollice ſurſum ad caput adſcendere & elevari, quæ tamen in ſenſu eſt fallacia, ſiquidem nullus datur flatibus locus ita per ſolidam ſubſtantiam adſcendendi, ſed ſpasmi ſunt, qui oſcillatorio quodam motu ſucceſſive per ingentes nervorum ramos feruntur.

§. XXXV.

Ex ſuperioribus allatis hiſtoriis & obſervationibus medicis id ad uſum practicum referre licet, quam paucæ ſubinde, ſimplices & apparenter leves graviſſimorum ſymptomatum ſint origines & prima initia & quam ſapiens ſit hac in re conſilium *Hippocratis* quod *libr. cit.* §.*3.* inſinuat: optimum eſſe, morbos ſic ſanare, ut principium morbi quis ſanaverit. Porro neque exiguum eſt emolumentum, quod medicus in praxi ex hac nobiliſſima de conſenſu doctrina ſibi adſumere & vendicare poteſt & eſt illud: ſi ventriculus cum inteſtinorum canali nerveo-membranoſo a minima lædente cauſa tam male affici poteſt, ut totum corpus affectionem

 ſen-

fectionem ſentiat, ex eo conſequitur, ſimili ratione ventriculus quando efficaci & convenienti medicina afficitur remotiſſimas partes inde levamen accipere poſſe, ut graves ibi conſiſtentes afflictiones vehementia ſua remittant. Neque hoc ratiocinium eſt de nihilo, cum ejus veritas uſu atque experientia corroboretur. Sed nec ſumus in alia ſententia, quam quod remedia, quibus magna vis ineſt, proxime & principaliter hanc ipſam in ventriculum & primas vias emittant, & quod prius has partes ſenſu exquiſitiſſimo præditas & quibus magna cum toto corpore eſt conſenſio, adoriantur, quam eorum textura ab occurſu aliorum humorum fuerit mutata.

§. XXXVI.

Animadvertimus quoque ab efficaci remedio adhuc in ventriculo hærente in diſſitis etiam partibus ejus operationem. Medicina, quæ dolores lenit ac mitigat, ut eſt liquor noſter anodynus mineralis adſumtus non modo ad vomitiones, anxietates, quæ ex colica, ex calculo fiunt, ſiſtit, ſed & nimium uteri, narium profluvium mox mitigat. Clyſter ex emollientibus oleoſis paratus ac ano infuſus omnis generis dolores, ſpasmos, ubicunque etiam conſiſtant ſive, in capite, ſive in pectore, aut ex dentibus vel calculo fiant, mitigat atque compeſcit. Medicina, quam nitrum purum ingreditur, præſtantiſſimæ in omni immoderato fervore, ſiti, vigilia, dolore efficaciæ eſt, cujus operatio non facile ultra primas vias ſe extendit, dum calidiſſimum in ſanguine & humoribus inteſtinum motum ſiſtit, fibrasque conſtrictas relaxat, unde etiam emunctoria antea clauſa recluduntur, ſiquidem a medicamentis nitroſis & alvi adſtrictio & nimia ſiccitas tollitur, urinæ plus effunditur & cutis ad ſudorem diſponitur.

tur. Ex opio bene præparatum remediū dum adhuc hæret in ventriculo, ſomnus obrepit & dolor placatur. Oleoſa, ut oleum amygdalarū dulce, ſperma ceti, affectibus ſpaſmodicis egregie opitulantur, unde in doloribus a calculo, in tuſſi ferina, aſthmate convulſivo non ſine fructu dantur, dum enim ſpaſmus ventriculi & inteſtinorū diſſolvitur, ſpasmi etiam in remotis partibus quieſcere incipiunt. Pulvis chamomillæ vulgaris & liquor noſter mineralis, cum balſamo vitæ roboratus, evacuata prius ex prima regione colluvie vitioſa, in ſiſtendis febrilibus paroxysmis omnibus fere adhuc cognitis antecedunt, neque eorum operandi ratio a*lia* videtur, quam quod ſpaſticas ſtricturas, quæ perpetuo in intermittentium paroxysmis primo ventriculum & inteſtina invadunt, ſedandi egregia facultate pollent. Corticem chinæ & martialia decenter parata impetus febriles non modo ſuſpendere, ſed & tollere penitus, prudens ſi eorum adhibitio inſtituatur, tam certum eſt, quam quod certisſimum: num vero ultra primam regionem materiali ſuo contactu operentur, multum dubito, cum enim a ſpasmis violentioribus, iisque ſæpius repetitis in intermittentium paroxyſmis in ſummam debilitatem & atoniam ventriculus & inteſtina incidant, ut ad materiam febrilem novam generandam apta evadant, ergo potisſimum eorum tonus roborandus, quod balſamicis aromaticis quam optime perficitur. Hypochondriacis & hyſtericis gravia quæ superveniunt ſymptomata, ex primis maxime viis ſpaſmo conſtrictis ſua incunabula ducunt, hinc ſumta antiſpasmodica & flatus diſcutiente medicina, qualis eſt esſentia corticum aurantiorum bene præparata, cum eſſentia caſtorei remixta, protinus vehementia horum, ſymptoma-

ptomatum ſeſe remittit. In enormibus ſanguinis profuſionibus ab adſumta ſtyptica adſtringente medicina confeſtim opem præſtitam animadvertimus. Mercurialia ſive interius ſumta, ſive exterius applicata, glandulas & nervos afficere ac potenter lympham movere atque immoderatum ſalivæ profluvium concitare res eſt omnibus clarisſima, cujus mirabilis effectus nulla alia ſubeſt cauſa, quam quod hæ partes, quas mercurius proxime attingit, fortiter ab eo afficiantur & conſtringantur & inde totum nervorum & glandularum ſyſtema in conſenſum trahatur. Posſidemus mercurium fixum, cujus ſaltim duo grana in ſeptimana ſumta tantæ ſunt potentiæ, ut per hoc ſpatium corpus continuo madore lenique ſudore perfundatur. Experientia docet medicamentum mercuriale ſaltim linguæ admotum illico fauces conſtringere. Emplaſtrorum, quæ carpis manuum adplicantur, ad febriles motus compeſcendos virtus per quam nota eſt. Quod etiam de plurimis aliis valere poteſt. Sed divina gratia huic diſſertationi facimus finem.

S. D. G.